

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Inavgvralis Medica De Rervm Non Natvralivm Ad Valetvdinem Tvendam Recto Vsv

Schulze, Johann Heinrich

Halæ Magdebvrgicæ, [1733?]

VD18 90819640

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201871

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS
MEDICA

DE

RERVM NON NATVRALI-
VM AD VALETVDINEM
TVENDAM RECTO
VSV.

§. I.

DE recto rerum non naturalium
vfu ad sanitatem conseruandam dicturi, me-
rito quidem obsequimur consuetudini, quæ
iubet in limine cuiusvis tractationis rei il-
lius, de qua dicendum est, præmittere aliquam concin-
nam declarationem, vt intelligatur quid sit illud, cu-
ius causa laboramus. Id vero tanto æquius requiritur
a lectore, si vocabulis arti cuidam domesticis vtendum est,
quorum significatio non illico in sensus incurrit, sed anci-
pitem aliquam asferre dubitationem potest. Jam vero me-
dicæ scholæ antiquissimum est de rebus *secundum naturam*
& *præter naturam* disserere: quarum illæ quidem ipsam sa-
nitatem, eius causam & accidentia; hæ morbum, cau-
sam morbi & symptomata, complectuntur: quibus
quidem loquendi modis HIPPOCRATEM & GA-
LENVM vfos esse constat. Qui vero hos longo spa-
tio insequuti sunt, & salutarem artem in systematicum

A 2

quen-

quendam ordinem redigere conati sunt, de rebus etiam naturalibus & non naturalibus multa exposuerunt, sicque obtinuerunt, ut hi etiam artis termini ab uniuersa schola medica adoptarentur, etsi nec HIPPOCRATI, nec, quod sciam, GALENO ullibi in vastis suis voluminibus umquam usu triti. Circumfertur quidem liber GALENO adscriptus, *de oculis*, quem REN. CHARTERIVS tomo X. exhibet, ita tamen, ut ipse spurium illum declaret. Huius *Secl. III. cap. 2.* de rebus naturalibus & non naturalibus, prorsus ad legem istam, differtur, qua hæc vocabula hodie apud medicos admittuntur. Sed cum fides libri dubia, ætas vero incertissima sit: GALENVS vero in illis indubiæ fidei libris, quos *de sanitate tuenda* scripsit, rerum non naturalium mentionem nullam, sub hoc quidem titulo, faciat: nec qui compendia ex eius voluminibus fecerunt, eiusque cetera studiosissimi fuerunt, ut ORIBASIVS & AETIVS, illa appellatione usi sint: vix dubitandum est, quin propiori demum æuo, iam obtrita Græcorum doctrina, illi termini in scholam admissi fuerint.

§. II.

Vix autem declarare licet, quid non naturale dicant, nisi simul declaremus, quid rerum non naturalium appellatione complexi sint. Dicuntur autem *res naturales*, quæ quidem sub medicam considerationem cadunt, illæ, quæ hominem constituunt, vel ab illo secundum naturam procedunt, adeoque, velut fundamentum, complectuntur, & in se fouent, res tam secundum, quam præter naturam. Tales autem septenario hoc includebant & recensabant ordine, ut essent 1.) *elementa*,

menta, ex quorum commixtione resultant 2.) *temperamenta*: quæ diuersimode spectantur in 3.) *partibus*, 4.) *humoribus*, & 5.) *spiritibus*, ac denique ad 6.) *facultates* & 7.) *actiones* singula concurrunt. Hæc itaque vt in homine quouis naturaliter constituto perpetuo præsto & parata sunt, adeoque homini naturalia appellantur: sic *non naturalia* dicta sunt, quæ nec sunt partes hominis constitutiue, nec ab ipso secundum naturam rectissime habente procedunt, aut perpetuo ipsi adsunt, sed vel forinsecus accidunt, vel ex forinsecus allatis resultant, cum ea conditione, vt sua natura sint neutra & media, quæ pro diuerso usu sanitatis & morborum causæ procatareæ fieri possint. Talia vocantur sex ista 1.) *aer*, 2.) *cibus & potus*, 3.) *motus & quies*, 4.) *somnus & vigilie*, 5.) *excreta & recrementa*. 6.) *animi pathemata*. Neque nunc disputare licet, quam recte illis nomen rerum non naturalium quadret: quippe terminos technicos, ab antiquo impositos & ipso usu confirmatos, ad seuerum rationis philosophicæ examen reuocare non licet. Si tamen coniectura vti licet, vero admodum videtur simile antiquissimis forte temporibus non naturalium nomine tantum venisse ea, quæ corpori ab extra adueniunt, cibos & potum. Nam antiquissima medicina, quæ morbos diætâ curabat, tota erat in horum recto usu ordinando: vt clare apparebit cuius legenti HIPPOCRATEM de veteri medicina, vbi omnis disputatio tantum est de horum iusto modo & qualitate. Accessit deinde aeris habenda ratio, quam idem auctor alibi multis inculcat: tandemque motus ac quietis, somni & vigiliarum, ex-

cretorum ac retentorum ad sanitatem tuendam momenta primi considerasse videntur illi, qui rem gymnasticam ad medicinæ utilitatem transtulerunt. Quæ coniectura, si non fallit, suppeditat rationem excusandi omnis illius, quod in nomine, pridem satis proprie imposito, deinde subnatum est incommodum, quum temporis progressu plura eodem referrentur, non æque recte quadrantia. §. III.

Rerum non naturalium rectum vsum ad sanitatem præsentem conseruandam, amissam vero recuperandam, docet diæta, siue diætologia, quæ tam ad hygieinen, quam ad therapiam, ex æquo pertinet: perinde vt nihil alterutram partem medicinæ magistræ exercentem prohibet ex medicamentorum aut chirurgiæ apparatu aliquid, quo opus est, in suam rem conuertere. Ex quo apparet non satis iuste facere illos, qui ad res non naturales etiam medicamenta & operationes chirurgicas pertinere contendunt. Etsi enim nomen rerum non naturalium illis satis conuenire videatur, si vim nominis spectare velis: tamen cum ab antiquo tres medicinæ partes ministræ constitutæ sint, quæ τῶ ὑγιεινῶ & τῶ θεραπεύειν ex æquo inferuiunt: nullam video rationem cur fines bene positos loco mouere & omnia confundere velimus. Quare hygieinen docere pollicito de illis meminisse integrum quidem est: diætetica præcepta tradere cupientem non decet de medicamentis aut operationibus chirurgicis differere.

§. IV.

Quum vero infinita fere sint, quæ de rerum non naturalium vfu differi possunt, eademque a clarissimis medi-

medicis magnis iam voluminibus pertractata : nos in pauca contrahemus illa tantum, quæ ad rectam valetudinem tuendam pertinent ; istis autem nunc supersedebimus, quæ ad morbos vincendos a diætetica disciplina peti solent curatiua præsidia. Faciemus autem initium ab aere, quippie nullo momento a nobis remoto, sed corpora nostra non solum continuo attingente, verum etiam intimius subeunte. Hunc autem optimum expetere oportet & requirere : illum scilicet, qui sit purus, & temperatus. Purum aerem illum vocamus, qui nullis heterogeneis particulis fœtus sit : quales sunt exhalationes varii generis sulphuræ & salinæ, siue a fermentescentibus siue putrescentibus, aut alio modo fortius commotis corporibus prodeuntes, seque atmosphærico aeri immiscentes & cum ipso corpus nostrum subeuntes. Talia efficiunt aerem impurum, omni animantium generi inimicum, præcipue autem homini pestilentem.

§. V.

Quo vero paulo distinctius cognoscantur impuri aeris diuersa genera, seorsim aliqua sunt adducenda. In primis damnatur aer noxiis paludum effluuiis inquinatus. Aquæ enim stagnantes non solum vitium capiunt motus & agitationis defectu : verum etiam, dum multa in ipsis contenta resoluuntur putredinoso intestino motu, a radiorum solarium calore, per æstiuos dies incumbente, concitato, indies magis putrescunt, sicque vicinum aerem exhalationibus suis valde noxium reddunt. De hac incredibile corruptione, indeque pendentibus noxis, integro volumine exposuit Illustris quon-

quondam archiater Pontificis, LANCISIVS, ad quem merito remittimus lectorem, qui plenissime edoceri de hac re cupit. Quantum autem in eo positum sit, ut talem aerem vitemus, probe iam animaduertit M. TERENT. VARRO, qui *de re rustica Lib. I. cap. IV.* dissuadet comparanda prædia, quantumvis sint feracia, si salubritate careant. *Etenim, inquit, ubi ratio cum orco habetur, ibi non modo fructus est incertus, sed etiam colentium vita: Quare, si salubritas non est, cultura non aliud est, quam alea domini vitæ ac rei familiaris.* Eodem tendit consilium COLVMELLAE, qui ædificium in villa construendum, saluberrima parte regionis constituendum præcipit, addita ratione: *nam circumfusus aer corruptus plurimas affert corporibus nostris causas offensus.* Quam misere sæpe integri exercitus luant aeris impuri paludosi graues noxas, præ ceteris luculenter passim ostendit TOB. COBERVS in *observat. castrensibus*. Quoniam vero non semper licet euitare loca, quæ eiusmodi aere infestantur, commendandum atque imitandum censemus modo laudati VARRONIS consilium, qui, *cum Corcyræ esset exercitus atque classis, & omnes domus repleto essent ægrotis & funeribus, immisso fenestris novis aquilone, & obstructis pestilentibus, ianuaque permutata, ceteraque eius generis diligentia, suos comites ac familiam incolumes reduxit.*

§. VI.

Maiori etiam cautione vitandus est ille aer, qui, cum impuritate modo indicata, etiam malignis & contagiosis effluviis, a corporibus pestilenti quodam morbo laborantibus aut demortuis, inquinatus est. Ab isto

isto quidem, vbi id licet, quam longissime fugere consultiſſimum eſt: ſi vero hoc integrum non ſit, efficiendum, eſt vt corporis noſtri illæ viæ, per quas tenuia miasmata potiſſimum intrant, quantum quidem fieri poteſt, muniantur. Jam vero duæ potiſſimum ſunt viæ, per quas aer in noſtrum corpus admittitur: vna patentiſſima per os & nares, dum respiramus, altera latiſ anguſta per poros cutaneos, atque illuc deſinentia vaſorum tenuiſſimorum oſcula. Harum quidem primam ſemper patere, vitæ rationes poſtulant; alteram ſemper patentem conſeruari itidem neceſſarium eſt. Cauebimus autem magna ex parte, ne illatum cum aere miſma inniduletur & valde noceat, ſi ſequemur conſilium Ill. FR. HOFFMANNI *med. ſyſtem. tom. I. p. 340. §. 18.* *Conuenit tunc temporis abſtinere a ieiunio, quoniam in ieiuniis vehementior eſt inſpiratio, & aer plenius ad interiora admittitur. Conuenit autem infuſum calidum theæ, coffe, matutinis horis adſumere.* Scilicet diu experientia confirmatum eſt, quod, graſſantibus cuiuſmodi contagioſis morbis, omnia grauiora fiant ſi ſimul annonæ caritas incidat, & plebeia multitudo fame laboret: apud quam fere fruſtra medicamentis tunc pugnatur. Cibi autem boni & potus congrui, dum nouum humoribus ſupplementum tempeſtiue addunt, viget humorum circulus, & per poros tenuiſſimos, tam in oris, narium, aſperæque arteriæ & bronchiorum ſuperficie, quam per vniuerſi corporis ambitum, continua vigente exhalatione & expulſione, illud, quod ſubingreſſurum eſt, repellitur atque ab interioribus arcetur. Quare præcipue inuigilandum tunc eſt modis omnibus, quibus blan-

B

da

da illa transpiratio conferuetur, & absque sanguinis tamen exæstuatione, aliquantulum intendatur.

§. VII.

Impurum etiam & magnopere noxium aerem reddunt effluvia carbonum, ex ligno arte factorum: quorum noxam nostra memoria in primis ostendit Ill. HOFFMANNVS noster, singulari casu tragico huic quæstioni occasionem præbente. Ex eodem scripto cognoscimus vaporem malignum & strangulantem, qui loca subterranea sæpe peruadit, & hominibus vitam eripit. Quot modis etiam impurus aer & noxiis particulis refertus obtingat metalla tractantibus, ab iis capiendum est, qui illud argumentum ex instituto pertraxerunt. Tectorium recens calcis aerem conclauis noxium reddere, & hominem grauissime lædere, vulgo etiam notum est. Quæ singula cauenda esse, quæri autem omni studio debere aerem ab istiusmodi impuritatibus immunem, per se patet.

§. VIII.

Transimus nunc ad considerandam, quam supra laudabamus, aeris temperati indolem ac bonitatem. Temperatum autem cum veteribus illum dicimus, in quo nec frigus neque calor excedit, quique nec nimium humidus est, neque siccitate omnino squalet. Fieri quidem non posse existimo, ut istum temperiei modum statuamus, qui omnibus mundi climatibus respondeat, & corporibus hominum, qui illa inhabitant, ex æquo conueniat. Quare omnis quæstio de aere temperato ita agitanda est, ut consideretur relatio ad certum aliquod clima, & corporum ibi viuere adfuetorum toleran-

lerantiam. Illud tamen in vniuersum dici potest, eum aerem esse temperatum, qui inter frigidum & calidum medius est: illum intemperatum, qui vel frigoris vel caloris summum gradum, ad quem in quouis climate adscendit, vel iam attingit, vel proxime ad illum accedit. Sub nostro cœlo, vt plerisque aliis in regionibus, temperatissimum aerem laudamus circa æquinoctia: intemperatum præcipue sentimus circa solstitia, quorum hyberno frigora nobis molesta sunt, æstiuo autem calore torremur. Vna autem est regula, quæ sanitatis conseruationem hic moderatur, vt aeri quidem, qualem sua cuique patria affert, vnusquisque suum corpus, quantum fieri potest, idoneum ferendo reddere studeat: maxime vero caueat, ne se illico a maximo frigore maximo calori permittat, aut ab intenso calore ad frigidissima loca conferat. Cui par est regula, quam, humidi aeris intuitu, tenere iuuabit: vt mature adfuescamus etiam humiditati, præsertim frigida, corpori nostro al labenti, ne, si quando euitare illam nullo pacto licet, ab ea grauiter mulctemur. Multum ab indulgentissimo matrum affectu in suam prolem quotidie hic peccatur, quas meliora discere a IO. LOCKIO, acuto philosopho & sapiente medico, iuuabit, si librum pulcerrimum *de puerorum educatione* legere & considerare velint.

§. XIII.

Quando intensissimi sunt calores, cauendum est ab usu nimio illorum, quæ corpus amplius exæstuarè & exagitare humores valent, vt sunt potus spirituosi, labor nimius sub dio peragendus: quem vbi deuitare non licet, iuuabit corpore leuiter vestito illos peragere:

B 2

præ-

præsertim vero quando venti ab austro flantes sudorem per se inuitant. Juvabit tunc maxime potu vti sufficiente, moderate frigido & acidulato; fructibus etiam acidulis, vt sunt fraga, ribes, cerasa, mora, modo maturitatem iustam consequuta. Subinde sub umbra requiescendum est, somnoque & quieti indulgere decet: hac tamen cautione, ne valde calefacti valles umbrosas, & antra humido ac frigido aere prædita, auide cōsestemur: repentini enim ad contraria transitus nunquam periculo vacant. Quando magnos calores diurnos frigida noctes excipiunt, liberi aeris accessus, dum quieti vacamus, caueatur. Si pluvia & frigida tempestas incidit, noxam auertemus spirituosorum potuum paulo largiori usu, & transpirationis liberæ accurata cura: nimiorum autem ciborum abstinencia. Quando acri ac vehementi frigore vrīmur, corpora quidem interne calefacere licet potu calido, iusculis, infusis, cereuisia generosiori, vino, motu: externe vestibus & foco luculento pugnabimus. Nihil autem perniciosius esse potest, quam multus spirituum sublimatorum potus, præsertim vbi quiescente de reliquo corpori tales infundimus. Nam dum externo frigore humores ad interiora compellantur, ibique in vasis maioribus detinentur, facile coagulari possunt: vnde lethales stases, morbi que inflammatorii oriuntur: aut in hominibus plethoricis & iuuenibus polypi enascuntur, multorum deinceps grauium morborum chronicorum inuictæ matres: de qua re legi meretur *Act. physico-med. Acad. N. G. Volum. 1. observ. CCXX*, eique subiunctum scholion.

§. X.

Sed progredi oportet ad exponendum de cibo ac potu. Quum vero de alimentis tam multa dicenda se offerant, vt iustis voluminibus tractata, nondum tamen a quoquam exhausta sint: rem omnem in pauca contrahere oportebit. Quicquid autem alimentum corpori præbere debet, illud in se contineat oportet partes, quæ humorum nostrorum commercio adiungi possint. Illi, optime se habentes, sunt admodum blandi, benigni, saporis & odoris expertes, gelatinosi & aliqua parte oleosi: estque notabilis naturæ processus, quæ ex omnibus assumtis, vnde corpori alimentum paratura est, chylum, aliquam quasi emulsionem, aut lac quoddam, conficit, quod deinde in sanguinis naturam transit. Discimus inde quales sint optimi cibi, illi scilicet, qui partes in se continent facile in emulsionem aut gelatinam abeuntes, si, accedente humido conueniente, macerentur, & a fluidis propriis nostri corporis digerantur & in naturæ nostræ similitudinem adducantur. Simul patet longius ab alimenti congrui indole recedere, quicquid conspicuis qualitatibus salinis, acribus, terrestribus, volatilibus nimiumque spirituosis præditum est, & sub his paucas particulas gelatinosas, pingues, emulsivas & aqueas, quasi interspersas, fouet. Paratissimum itaque alimentum præbent lac, oua mollia, butyrum, caseus recens, iuscula gelatinosa, pulles ex farina, oryza, hordeum decorticatum, frumentum farraenicum, carnes vitulinæ, aliorumque animalium iuniorum, ostreae, carnes deinde ceteræ bonæ, assæ potius quam elixæ, panis, castaneæ, radices edules: mi-

nus aut copiosum aut laudabile olera, pisces, carnes salitæ aut fumo induratæ, pisces plerique, præsertim ad aerem aut fumum exsiccati & sale conditi, legumina, & quæ pro acetariis apponuntur. Atque hæc quidem potissima sunt, quæ in cibum apponi hominibus solent. Potus convenientissimus est, cuius pori minime oppleti iam sunt vehendis particulis, quo magis sit idoneus, qui suscipere possit particulas alimento solido extrahendas. Optimus est aqua purissima, quæ omnium optime recludet, extrahet & in se recipiet particulas ex alimento solido suscipiendas: post aquam, quivis alius tenuis & minime iam obsaturatus: ut cerevisiæ tenues, vina oligophora.

§. XI.

Enimuero in ciborum delectu minime iuvat nimis esse diligentem: omninoque oportet sanum hominem, qui & bene valet & suæ spontis est, CORNELII CELSI consilium sequi: *nullis obligare se legibus, nullum cibi genus fugere, quo populus utatur: interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere: modo plus iusto, modo non amplius, assumere: bis die potius, quam semel, cibum capere: & semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat.* Qui nimis anxie optima nutrimenta exquirunt, raro bene valent, & qui ad mensuram & pondera exigunt quantitatem, omnium facillime læduntur, si vel minimum aberrant: tandemque eo deveniunt, ut inter homines versari nequeant, quin ubique vel sibi vel aliis molesti sint. Minime sibi consuleret, qui diætam talem eligeret, ut non nisi optime nutrientia assumeret, euitatis illis edaliis, quibus insunt partes multæ, quas concoqui non posse
certum

certum est. Ponamus hominem sanissimum aliquanto tempore selectissimis tantum cibis nutriendum, quis, lacticiis, iusculis consummatissimis, carnibus pullorum, hædorum, vitulorum, pane similagineo, ab omni furfurum commercio longissime remoto, vinis dulcibus, cerevisiis maxime nutrientibus: proximum est, ut humorum optimorum copia superabundet; alius mox tarda euadet, cruditates sentiet, appetitus languebit, alacritas peribit: omninoque fatum experietur generosi equi, quem dominus imprudens eximium in modum sola a-uena pascit, foeno & stramine subtractis, quæ minimum vel nullum præbere posse alimentum præuidet. Scilicet & hoc pro sanitate est furfures & reliquias ciborum per canalem intestinorum ferri, quibus mucus ab interiori tunica abstergetur, & exhalationes tenuiores, per totam longi tractus superficiem expulse, implicentur forasque educantur. Quare DEVS homini non sine ratione olera etiam in cibum destinavit & diserte commendauit. Quisquis igitur valere cupit, ita mensam instruat, ut cibis studeat non selectissimis tantum & valde nutrientibus, verum his interponat studiose aliqua, quæ non illico vinci & concoqui possint, & relinquunt partes per aluum reddendas complures, modo non sint sua natura constringentes, austeræ, aut alio modo manifeste lædentes.

§. XII.

Hæc ut sanis & valentibus, quo tales maneant, tenenda sunt: ita iuuabit ex eodem CORNELIO CELSO alterum adducere monitum, quod stomacho imbecillis seruandum reliquit: *imbecillis stomacho*, inquit,
(quo

(quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi litterarum sunt,) ubi ad cibum ventum est, numquam utilis est nimia satietas: sæpe etiam inutilis nimia abstinentia. Sæpe, si qua intemperantia subest, tutior est in potione, quam in esca. Cibus a fassamentis, oleribus, similibusque rebus, melius incipit. Tum caro assumenda, quæ assa optima aut elixa est. Condita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam & plus propter dulcedinem assumuntur, & quod modo par est, tamen ægrius concoquitur. In pauca conferemus, quæ hinc discere debeamus. Non tam sollicitus est optimus auctor de qualitate ciborum, quippe quæ raro valde lædit, quam de quantitate, in qua præcipuum est vitium. Deinde non arcet stomacho imbecillos a fassamentis, (quæ inter Romanis præcipue in usu erant olivæ,) aut ab oleribus, similibusque, quæ non proxime ad satiandi scopum ferunt, sed locum illis primum assignat, carnesque subiungit. Quid intuitus sit, quum hoc suaderet, ex modo dictis intelligitur: neque vero hic locus patitur adducere disertæ veterum testimonia, quibus comprobem nihil illis a me affingi. Intemperantiam non laudat aut commendat, sed dicit vtra ex duabus intemperantiæ speciebus minus noceat, si omnino admissa sit. Condita dum reprobât, plane iustas rationes adfert: lustrabimus tantum ultimam. Scilicet dulcia omnia sunt sal sui generis: sal autem in nutrimentum corporis nostri conuerti nequit. Assumitur itaque vt expellatur. Et quum sal culinare manifestas utilitates habeat, quas interea, dum est in corpore, mucum digerendo, attenuando & fibras solidas stimulando, sicque excretiones promouendo, exserit: de dulcibus & succha-

ifaccharatis valde vereor, ut fructum tantum ferant, qui impendiis faciendis respondeat, etiam ubi minime abuti illis videmur.

§. XIII.

In potuum generibus æstimandis recurrere omnino debemus ad id, quod supra dictum est, de optimi potus requisitis. Quum vero pauci hodie sint, quibus persuaderi potest optimam esse aquam: omnesque simplicitati nuncium miserint, paucis sunt lustrandi, qui magis sunt in usu potus nostri. Cereuisia maioribus nostris a longissimo tempore salubris fuit potus, cum quo corpora ipsorum in illam proceritatem & venustatem abierunt, quæ TACITI, aliorumque testimoniis comprobata est: de quo legi meretur immortalis HERM. CONRINGII libellus, *de habitus corporum Germanicorum antiqui ac novi causis* §. 47. Sunt cereuisiæ aliæ lupulata, hincque amaricantes, aliæ lupulo carent, hinc dulciores & magis albentes: illæ durationi longiori aptiores quidem & magis diureticæ ac inebriantes deprehenduntur: hæ magis nutriunt. Ambo genera, si recte cocta, bene fermentata & a propolis non adulterata sint, valetudini tuendæ satis bene conducunt: semper tamen, pro ordinario usu, præferri debent, quæ non nimium saturata & pingues sunt. Vinum, quoniam nimis spirituosum est, pro ordinario potu cibis adiciendo non æque bene conuenit: quum spirituosus nullum sit cum chylo nostro commercium: quare, nisi valde *ἐλγυφόρον*, aut multa aqua, qui veterum mos erat, castigatum, commendari recta cum ratione nequit. Medicus vini usus alius est considerationis. Multo etiam minus

minus sublimatum vinum, aut spirituosus ille potus, qui vini adusti nomine venit, aut prorsus aquæ vitæ titulo superbit, innoxius haberi potest, quando cibis digerendis & in bonum chylum mutandis affunditur: quem minori noxa haurire, modica tamen quantitate, licebit iam absoluta concoctione, aut matutino tempore, quando prius infuso calido ventriculum rigauimus & eluimus.

§. XIII.

Super est ut paucis attingamus illa hodie frequentissima potuum genera, sine quibus aorum, quin patrum nostrorum, temporibus satis bene commodeque vivebatur; quum nobis videamur illis sine valetudinis detrimento vix carere posse. Puto autem infusorum theæ & coffe, atque variorum, quæ ad theæ similitudinem ex nostratibus vegetabilibus parantur, omnino epidemium usum: quem quum mercatores Batavi potissimum Europæ intulissent; CORN. BONTEKOE suis in eorum laudem scriptis libris tam feliciter ebuccinauit, ut, simul inuitante nos & inescante dulcem liquorem sorbillandi voluptate, Batavis, Turcis & Indis, cum maxima patientia, vestigales facti simus. Quum vero imposturam talium optine nuper descripserit Excell. D. D. DETHARDINGIUS, ab usum ostendere nihil amplius opus videtur. De usu illud satis certa cum fiducia asserere licet, quod infusum Coffe intra horam vnâ a prandio calide sorbillatum illis commodissimum sit, qui capitis doloribus alias infestari frequenter solent, ob imbecillitatem stomachi assidua meditatione & studiis contractam: & quod ab infuso theæ mode-

moderate adhibito multum iuventur, qui arthriticis affectionibus tentari solent: utique si vini abusum seponant, & reliquas malorum causas studiosè remoueant. Nihil autem perniciosius esse potest illorum errore, qui forbillandis talibus ad sudoris vsque prouentum indulgent: quum sic corporibus suis consuetudinem sudandi inducant, quam multi, feminæ præsertim, crebro purpuræ accessu luere debent.

§. XV.

In omni ciborum potuumque genere illud tenendum est, quod saluberrima quæque noxia, immo lethalia, fieri possint vasorum, quibus præparantur vel asseruantur, culpa. Late patet hoc argumentum, ad salutis custodiam in primis faciens, de quo alio tempore plenius exposuit D. D. PRAESES singulari dissertatione, qua *mors in olla, seu metallicum contagium in ciborum potuum & medicamentorum præparatione ac asseruatione cauendum indicatur. Altorfii 1722.* Paucula tantum attingemus. Inuigilandum est præcipue vasis cupreis aut ex orichalco paratis, ne ad ciborum præparationem adhibeantur, nisi prius sollicitè detergta omni efflorescentia æruginosa, qua hoc metallum nimis celeriter corrumpitur. Nullum edulium tuto in illis asseruari diu potest, quin nec satis tuto in illis parantur quibus acidum accedere debet. Ipsa ex argento utensilia non satis hic tuta sunt, quum facile ærugo in illis efflorescat, ob cupri, quod a fabris admisceri solet, societatem. Stannea vasa nec ipsa omni suspitione carere debent, quum non sine plumbi accessione fiant, quod acida, quæ in illis aliquamdiu asseruantur, facillime erodunt & in suos poros recipiunt:

vnde eæ subsequi debent noxæ, quæ a saturninis, corpori utique nocentissimis, consequuntur. Vinum lagenis stanneis asseruatum, tamopere corrumpitur, ut lithargyri admixtione corrupto & mangonifato æquipolleat, quod experimento multiplici constat. Nihilotutiora sunt vulgaribus stanneis ista nitidiora, quæ orichalci & reguli martialis additione conflantur, qualia stanni Anglici nomine carius emimus: suntque artifices qui arsenicum colliquant, ut stannum magis album fiat. Tot noxiorum societas suspectam facere nobis tam nitidam suppellectilem debet, tunc præcipue, quum ad tenerorum infantum cibos asseruandos destinatur: aut quando imbecillis & languentibus offerre cibum volumus, apud quos non raro accidit, ut, dum tempora, quibus morbus remittat, exspectamus, cibi tantisper asseruentur: quo spacio satis multum attrahere & in se recipere valent, quod ad ægrotum, loco speratæ refectio- nis, male multandum abunde sufficiat. Qui antimoni- alium, saturninorum, venereorum & arsenicalium na- turam & communicabilem indolem nouit, non facile nos nimie meticulositatis arguet: præsertim quum ex- empla prostant non pauca feralium noxarum, quæ a tali errore fuerunt exortæ.

§. XVI.

Magnum sanitatis conseruandæ præsidium esse ab- stinentiam, si ea debito tempore utaris, ab omnibus me- dicis inculcatum est. Tunc autem recte ad eam confu- gimus, quando a nimia repletionem male habemus. *Post multas potiones, inquit CELSVS, quæ aliquantum sitim ex- cesserunt, nihil edendum est. Eadem conducit corporibus succi*

succi plenis, quando cruditates multas in primis viis coaceruatas sentiunt: vt & in vniuersum omnibus, qui se succis nimis abundare intelligunt, corpus solito grauius, & ad omnem motum illico lassatum, habent. Verum tutior est abstinencia, quæ successiue & per gradus ciborum ac potuum tam qualitati quam quantitati detrahit, quam quæ omnino cibi vsum ad tempus aufert: quod non omnibus subiectis ac naturis æque bene succedit, quin facile resoluantur. Si quis vero abstinentiam talem sibi indixit; caueat, ne, dum ad refectiorem redit, nimis id auide copioseque faciendo, omnem fructum ieiunii corrumpat, sibi que morbum, speratæ sanitatis loco, contrahat. Aliqui, dum abstinentiam ciborum imperant, aquæ frigidæ vsum permittunt, sicque non paucos languores tollunt. Vidi aliquam, quæ vocabatur, medicinam vniuersalem, cuius vncia dimidia duobus florenis vendebatur. Modus vtendi is erat, vt singulis matutinis horis ægrotus guttas quinque instillaret duabus aquæ mensuris, & de hac mixtura, quantum valeret plurimum, per diem biberet, abdicato per totum curationis tempus alio, quocunque nomine veniat, omni potu: nihil autem ederet, nisi se valde appetere cibum sentiret. Audiui multos illa medicina cum summo fructu esse vsos. Exploravi illam omni, quæ excogitari poterat, sedulitate & circumspeditione: omninoque certissimus sum nihil aliud fuisse, præter puram aquam, aquæ puræ addendam. Quum vero nosset medicus hominum id esse ingenium, vt quotidiana & obuia spernant, & decipi aliquando, salutis suæ causa, velint, id excogitauit consilium, sibi fructuosum &

ægrotis plurimis salutare, quo duo scilicet maxima va-
letudinis præsidia, aquam & abstinenciam, lepidò & lau-
dabili commento, sociavit.

§. XVII.

Progredimur ad eam partem doctrinæ diætetici-
quæ de motu & quiete præcipit. Eam antiqui medici la-
tissime diduxerunt, & suorum temporum, vitæque ge-
neris tunc vsitati rationibus accommodauerunt. Nam
apud Græcos primum bonos mores desidiosa & luxuria
vitiauit, ut liberi homines honestum laborem indeco-
rum existimarent, omniaque per seruos efficerent, quæ
ad agriculturam & artes mechanicas pertinebant: quæ
pestis ad Romanos deinde etiam penetrauit, & utro-
bique corpora afflixit. Quod cum intelligerent, acin-
tuerentur quam sani ac vegeti sint, qui otio minime in-
dulgent, excogitatae sunt variæ exercitationes, quibus
corpus moueretur, omnia membra agilia conseruaren-
tur, bonusque habitus produceretur, & quam diutissi-
me integerrimus præstari posset. Ea res, in artis for-
mam redacta, institutum gymnasticum, quod & athle-
ticum dicitur, continebat, cuius scopus erat corpora
optimo habitu prædita efficere & conseruare exercita-
tionum variarum, recte sibi subordinatarum, iusto vsu,
ordine, mensura & duratione: ad quarum proportio-
nem cibi, potus, somni etiam & quietis tempora, bal-
neorum, frictionum, vnctionum, vomituum, clyma-
tum, multorumque aliorum rationes ita dirigebantur,
ut omnino talia nemo, nisi artem hanc corporum lon-
go vsu edoctus, recte tradere & indiuiduis singulis ac-
commodare posset. Verum enim vero tota hæc res
diu

diu iam abolita est: veterumque plurima in hanc rem exstantia praecepta, latissime utique patentia, exigui sunt hodie usus. Nos itaque de motu praecipientes, tale laboriosum intelligimus exercitium, quod cuius pro illo, quod elegit, vitae genere incumbit: aut, ubi a tali necessitate exclusi sumus, in corporis plurimum fructum & utilitatem sponte subeundum & iusta moderatione continuandum est.

§. XVIII. Laboriosi motus hi praecipue sunt fructus, quod humores omnes melius subiguntur, mutuoque attritu, tum fluidorum ad firma, tum particularum fluidarum ad se inuicem, calorem concipiunt, quo ipso segnities & crassities, a quiete aut frigore suborta, emendatur. Hinc omnis generis actiones maiori alacritate peraguntur, mens ipsa serenior & excitatior esse sentitur, secretiones & excretiones omnis generis intenduntur, quod fluidis maiorem depurationem affert. Firmæ partes agilitatem & robur maius hinc consequuntur: &, dum multum insensibili modo in auras propellimus, multum etiam per secretiones & excretiones reliquas auctiores consumimus, nouo humorum supplemento locum facimus: ex quo fit vt laboriosi homines magis & appetant, & ingesta felicius faciliusque concoquant, quam qui sine labore tantum edunt ac bibunt vt consuetudini satisfaciant. Quo vero illum fructum certius consequatur labor noster, aliquæ sunt conditiones, ad quas exigi omnino debet. Ac primo quidem iusto tempore suscipiendus est, & iusto tempore continuari debet. Tempus iustum est, quo concoctio ciborum in nobis abso-

abso-

absoluta est. Nam qui ventriculo cibis repleto ad laboriosum motum veniunt, omnia corrumpunt, negotium digestionis præcipitant & chylum crudum ad sanguinem propellunt: unde impurum sanguinem generant, erroremque suum glandularum mesenterii, aliarumque, obstructione, aliisque morbis ex impuritate fœculenta & terrestri oriundis, luere debent. Recte hoc cauerunt gymnasticæ rei moderatores, qui exercitiis illud tempus dabant, quod cœnam præcedit; illico autem incipiebat quando somnum, prope meridiem fere productum, reliquerant, & ventriculum ab hesternæ cœnæ reliquiis, ut & intestina, depleuerant. Nec finito motu, anhelantes adhuc & æstuentes, ad refectionem venire decet: sed, donec iam omnino ad tranquillitatem omnia redierunt, expectandum & interquiescendum est. Ipsi autem labores ita suscipiendi sunt, ut a minori motu incipiamus, sensimque illum intendamus & ad maiorem celeritatis ac magnitudinis gradum prouehamus, in quo subsistendum est, donec sentiamus nos incallescere & aliquantum delassari: tunc eodem modo, quo motum intenderamus, minuere ipsum, & tandem ad minimum gradum reuersi, tempestiue a labore desistere debemus, & quiescere.

§. XVIII.

Quietem seorsim nunc considerare nihil opus est, quum sit laboris & exercitationis oppositum. Quorum autem vitæ genus totum est laboriosum, ut continuo fere actu membra sui corporis agitare debeant; hos oportet, quantum eius fieri potest, studere ut motus varietate sibi consulant. Quare obseruamus illos fere salu-

salubrius degere, qui modo stantes, modo deambulantes, vitæ munera peragunt, ac, dum superiores artus mouent & agitant, interim inferioribus quietem concedunt: quam qui vno eodemque corporis statu & positu totis diebus permanent. Eninuero frustra illis consilia præscribuntur, quorum vitæ rationes eæ sunt, vt obsequi illis nequeant, quæ recte fuerunt consulta. Litterarum in primis studiosi admonendi sunt, ne, dum legunt, scribunt, commentantur, meditantur eodem corporis positu maneant, sed quantum possunt, vices interponant, aliquando stent, sæpe deambulent, clara voce aliquid legant, aut ambulando in calamus dictitent, quæ in chartam coniicienda sunt: sæpe, si aliud non suppetit exercitium, libros, ceteramque musci suppellectilem, ex vno in alium locum transponant: quæ ipsa occupatio illum afferre fructum solet, vt maiori deinceps alacritate pergere possimus: modo animo etiam sua quies concedatur, nec continuo illum seriis meditationibus occupatum teneamus.

§. XX.

Somnum statim subiungimus, cui indulgentes non solum corporis membra quieti permittimus, verum etiam sensibus externis, & illi, qui communis dicitur, ad quem externi omnia deferunt, ferias permittimus: quod non potest fieri dum vigilantes energiam illorum perpetuo retinemus, semperque ab oblati externis impressiones admittimus. His vero necessarium esse ab occupatione perpetua aliquando cessare, & interim refici, ab experientia quotidiana confirmatur, quum videamus illos, quibus somni beneficium adimitur, nec corpore nec

D

animo

REGO

animo recte valere, tandemque eo deuenire, vt sanitatem mentis omnino deperdant. Quum itaque nemini sit dubium, quin homini opus sit beneficio somni: illud fere tantum quæritur, quanto tempore hominem sanum somno indulgere conueniat; & an semel quotidie, noctis tempore, dormire sufficiat, an meridianus etiam somnus indulgeri possit? Difficile autem hic inuenimus responsum, quod omnibus ex æquo satisfacere queat. Teneris infantibus longiori somno opus esse & crebro, omnes nouerunt: pueris, quo magis adolefcunt, somni necessitatem minorem reddi, vt semper tamen longiori, quam viri, somno indigeant: experientia discimus. Sunt medici, qui sex horas somno indulgere satis putant, quos inter præcipuus est CASP. HOFFMANNVS *instit. med. lib. V. cap. 31. § 33.* quem tamen optimum senem istud suum sehorium non sufficienter recreasse, vel ex eo pater, quod somni meridiani necessitatem in se ipso expertus, eius patronus maximus esse non destitit. Aliqui, quibus non valde repugnat laudatus vir, septem horis somnum describunt: sunt etiam qui octo requiri, ad reficiendum hominem studiis litterarum deditum, contendunt.

§. XXI.

Quo minus autem securi in definiendo somni tempore esse possimus, facit admodum diuersa temperamentorum conditio. Sunt homines qui plurimum cibant & non minus alacriter laborant, & quod magis est, non corporis sed animi viribus, in grauissimi momenti occupationibus, strenue versantur, qui tamen ultra fidem pauco somno sufficienter recreantur: qualis fuit
REGI-

REGINALDVS BELNENSIS, de quo grauiſſimus auctor, qui optime illum nouerat, THVANVS, refert, quod vix quatuor horis ſomno ſibi indulſerit, & ad octoginta tamen annos peruenerit. Sunt tamen alii minus robuſti & viuidi, qui delaffari ſe nimis cito ſentiunt, & ſomnum longiorem requirunt. Optime igitur faciunt, qui in ſeipſis explorant, quantum natura ſua requirat. Quo quiſque tamen plus laborat, pluribusque rebus animi ſui vires occupat & diſtrahit, eo iuſtius ſomno multo ſe recreabit. Qui vero totis diebus parum occupantur feriis, & nec corporis vires vllo labore atterunt, quo magis ſomno ſe permittunt, eo ſegniores tardioresque evadunt; & corporis quidem ſarcinam ſatis cito contrahunt, qua ignobilis animus magis depriimitur; vix autem laudabilem habitum corporis & inculpatam valetudinem diu tuebuntur. Talibus igitur conſultius eſt ſomno aliquid detrahere, quam illi indulgere. Somnum meridianum viris, qui per multas occupationes toto die verſare ſuum animum debent, minime ereptum imus, præcipue ſi imbecilli ſunt ſtomacho, & huic quietis generi adſueuerunt: cui tamen melius commodo ſedili fulti, quam lecto decumbentes, ſeſe permittent, idque cauebunt, ne calore lecti tranſpirationem intempeſtiue prouocent, deinde maiori incommodo abrumpendam, quando ad negotia reuertendum eſt.

§. XXIII.

CORNEL. CELSVS ſtomacho imbecillis præſcribit regulam certe non improbandam: *vbi expletus eſt aliquis, facilius concoquit, ſi, quicquid aſſumpſit, portione a-*

D 2

que

quæ frigida includit, tum paulisper inuigilat, deinde bene dormit. Præcipue illos iuuabit hoc consilium, qui crebro somniis turbulentis, anxietatibus quasi suffocationem minitantibus, rhonchis, incubo, aliisque a spissitudine sanguinis oriundis similibus affectibus excitantur: & noui virum valde obesum, qui, quum antea creberrime suffocatiuam anxietatem inter decumbendum experiretur, vno hoc salutari consilio liberatus fuit. Est & aliud eiusdem CELSI laudabile præceptum, quod ad plures diæteticae doctrinae partes quidem pertinet: *Si quando insuetus aliquis laborauit, aut multo plus, quam solet, etiam is qui assuevit: huic ieiuno dormiendum est, multo magis, si etiam os amarum est, vel oculi caligant, aut venter perturbatur.* Tum enim non dormiendum tantummodo ieiuno est, sed etiam in posterum diem permanendum, nisi cito id quies sustulit. Tandem etiam hoc notandum est, male sibi consulere, qui, dum recte valent, cubiculi, quo dormiunt, aerem hieme studiosè calefaciendum curant: quo fit, vt, accedente etiam lecti ipsius calore, ad sudandum, aut fortius saltem transpirandum, primo statim somno inuitantur: decresciente autem cubiculi calore versus matutinum tempus, ab inspirato tunc frigido aere, incommoda grauedinosa, sæpe durabilia, contrahant, toto corpore reliquo facilius sese tutante, quam ore & naribus. Si quis autem tussi laborat, is quidem non male agit, quando, donec conualescat, aeris temperaturam & æqualem calorem eo vsque conseruet, ne frigus sensibile malum exacerbare valeat. Extra hunc casum consultius est transpirationem, quæ per se noctu copiosior est, aut externo nimio, aut lecti calore non intendere

dere: sudoris enim expulsio nunquam est secundum naturam.

§. XXIII.

De *excretis* & *retentis* diætetica etiam disciplina agit: verum non de omnibus, sed de illis potissimum, quæ per aluum, vesicam, ac transpirationem insensibilem, secedunt: tum vero etiam de semine, menstruis, lochiis & lacte excernendis: quippe quorum retentio in aliquibus manifeste noxia est, aliis non nisi certis conditionibus & circumstantiis conspirantibus periculum valetudinis affert. Excerni necessario debent, quæ a cibis assumtis supersunt recrementa, quibus tamen multa simul intermixta sunt, quæ in amplum canalem intestinorum ex humorum massa immediate coniiciuntur, aut de humoribus vitilibus, officio suo functis, supersunt, ut bilis, succi pancreatici, liquoris gastrici & intestinalis particulæ effœtæ & emeritæ. Alui succellum ultra tempus cuique consuetum diu morari, raro vacat insigni incommodo: quare inquirendum est, quid illam tarditatem induxerit? Maxime eo facit, si molientem eam suppressimus, si minus, quam decebat, humidi assumimus, si motu consueto caruimus, aut nimis vehementi illo, vel quocunque alio modo, sudorem excitauimus, & hoc copioso humiditatem ab intestinis exhausimus, si adstringentibus stypticis & acerbis usi sumus, si victu nimis exquisito nos dedimus. Talia, si adsint, corrigenda sunt. Si nihil horum inueniamus in culpa esse, (quod raro quidem accidet:) iam medico prudenti opus est, qui in medium consulat. Nimis fluentem aluum fere tum experimur, quum aliqua res noua incidit

vt aliquis insueto vel insalubri potu vsus sit, ferculum ederit incongruum, tempestates subito mutatae sint, aut aliquid circa transpirationem insensibilem acciderit, quo ea supprimeretur: quibus emendatis ipsum vitium tollitur. Vesicae humorem parcius effluentem reddit potus deficiens & transpiratio valde aucta & intensa: si alia causa subest, illeque omnino supprimitur, medicum oportet illico accersere: est enim valde suspiciosum.

§. XXIII.

Transpirationem insensibilem eo vsque intendi, vt fiat sensibilis, nulla in homine sano exigit necessitas: placide eandem succedere pro valetudine in primis esse censendum est. Omnino suppressam cachexia non tardo pede sequitur: imminutam prauorum, aut saltem nimiorum humorum coaceruatio excipit. Intendunt illam alimenta laudabilia, motus congruus, aer serenus & temperatus, animus hilaris: impediunt contraria; quae ad iustum modum reuocari recta ratio suadet, vt sano corpore diu fruamur. Seminis retentionem facilius ferunt, qui excretioni eius nunquam adsueuerunt, quam qui semel hanc naturae suae portam aperuerunt: sed hoc argumentum amplius est, quam vt hic locus capiat ea omnia, quae huc pertinent. Menstrua mulieribus mouentur non plethorae imminuendae causa: sed plethora facit vt copiose moueantur. Si cetera recte valeat mulier, propter menses non comparentes minime laborandum est: si autem in illis, quae menstruatæ antea fuerunt, vel imminuuntur vel supprimuntur, vel alio vilo modo vitiantur, res τῷ θεοπροπιῇ permittenda est;

est; excedit enim diætetices solius terminos. Eodem ableganda censemus lochiorum vitia; quippe celeri plerumque opus est auxilio, quod a sola diætâ vix sperandum est. Lactis quantitatem nimiam victu copiosiori circumciso vincere facile licet: defectum idem lautior, cum moeroris ablatione & laboris imminutione, plerumque emendat: cetera ad diætâ non spectant.

§. XXV.

Animi affectus inter res non naturales, quas diæretica considerat, vltimum locum tenent, forte quod sero tandem a primis huius disciplinæ auctoribus eorum maior ratio haberi coepit. Tranquillum habere animum, & nullo affectuum fluctu agitaturn, rectæ valetudini plurimum prodest. Qui vero ita sedatum habere nondum valent, iræ gaudioque nimis, moerori, inuidiæ, amoris imperare adsuescant, ne pravis his consultoribus alia poenitenda admittant & sanum corporis sui statum labefactent. Quo vero pacto noceant, aut prodesse aliquando valeant ad morbos superandos, alius esse disciplinæ mihi videtur: quemadmodum etiam philosophi potius est, quam medici, docere artem animi affectibus medendi.

§. XXVI.

Ad totum ambitum doctrinæ illius, quæ rerum non naturalium usum commonstrat, præcipue pertinet consuetudinis circa singula ista vis magna & incredibilis: quippe quæ a parvis initiis progressa, & sensim confirmata, efficit ut multa, quæ ferre alius non posset, adfucto omnino facilia & fere necessaria reddantur: prorsus ut talibus non nunquam indulgenda sint, quæ aliis
certum

certum allatura essent damnum. Sunt huius generis aliqua totum fere humanum genus peruagata, quæ nulla vera necessitate impulsæ facimus, ægerrime tamen o-mittimus, postquam nos seruituti illis præstandæ addi-ximus; vt nicotianæ fumum ducere, aut puluerem na-ribus attrahere. Quisquis autem recedere a talibus, longa consuetudine sibi familiaribus, decreuit: vt lento gradu id faciat, omnino suadendum est. Tanto magis autem cauere initio debemus, ne nos vllius rei vsui ita mancipemus, vt consuetudinis confirmatæ vim conse-quatur. Id præcipue voluit CORNELIVS CELSVS, aureo præcepto, quo totam hanc tractationem obsigna-re liceat: SANVS HOMO QVI ET BENE VALET ET SVAE SPONTIS EST NVLLIS OBLIGARE SE LEGIBVS DEBET AC NEQVE ME-DICO NEQVE IATRALIPTA EGERE.

clō lccc xxxiii.

